



~~S. H. S.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

II-14

SIGNAT. 1500 CCCXIII.

Dissert. theol. Vol. 28

einzelne verzeichnet 19. II. 1915.





2.
SEBASTIANI EDZARDI
PROF. PUBL.

TERMINISMUS SOLATII EX- PERS

Adversus nuperam *Rechenbergii* Disserta-
tionem *de officio Paracletico*.



A. C. MDCCVI.

SEBASTIANI HERZARI
Pro Patr.
TERMINISMUS
SOLATII EX-
PERS

Aduentus impensis Recensim patet Dilectiss.
tioneum ex officio Facultatis.



V.C. MDCCCL



I. N. D. N. J. C.

§. I.

AQuum erat omnino, ut Terministicis suis contentiobus terminum imponeret Rechenbergius, & componeret se ad quietem, ac Ecclesiam Evangelicam sat is jam satis a Calvinianis, Crypto-Socinianis, Syncretistis, aliisque haereticis afflictam vanis & inanibus speculationibus perturbare desineret. Tam alieno vero a pace & tranquillitate animo est, ut in extremo superioris Anni litibus suis novum dederit initium, & publica *de Officio Ministri Verbi Paracletico* Disputatione §. XLI. seqq. plenas desperationis hypotheses suas iterum in cathedram produxerit. Habemus adeo prohdolor in Primario hoc Theologie apud Lipsienses Professore hominis totaliter indurati exemplum, dum contemptis luculentissimis Scripturae dictis, & pessundatis tot Ecclesiarum Evangelicarum fidelissimis admonitionibus in errore persistit suo, eudemque palliare, incrassare, defendere, propugnare totis viribus allaborat. Nihilosecius tamen optamus ex animo, ut DEUS Ter Optimus Maximus ipsi pœnitentiam largiatur, ne tandem etiam finaliter indurati exemplum cum æternos suo exitio præbeat.

§. II.

Quamvis autem in publico Actu Disputatorio Lipsiæ a Cellerimmo quodam Viro ita confutatus fuerit, ut nihil ferme amplius reperiret, quod regereret, ac ne prorsus siluisse videretur, responsionem privato colloquio seponeret: haud tamen alienum a re fuerit, alibi quoque Rechenbergianas has nærias calamo refelli. Quod

A 2

DEO

DEO propitio in præsenti facere aggrediemur, de libellis famosis & convitiis, quibus Terministica cohors in defensores Veritatis insurgere consuevit, parum solicii, memoresque sententiaæ illius B. Lutheri, *Es ist ja eine Gnade / wo euch Lügner und Buben schelten.* Tom. I. German. f. 404. a.

§. III.

Summa controversiæ eo reddit, *num DOCTRINA DE TERMINO GRATIÆ SIT EXPERS SOLATII, & propterea ex Ecclesia DEI merito eliminanda?* Affirmantem sententiam suam facit universa Ecclesia Evangelica, negantem defendere conatus est Rechenbergius commemorataæ Disputationis §. XLI. usque ad finem. Principio ad Hulsemannum & Geierum provocat, sed quantopere B. Hulsemannus Terminateis repugnet, Schediasmate nostro ostendimus. B. Geieri locum quoque perspicua paraphrasi illustravimus, vindicavimusque. Deinde §. XLII. Formulam Concordiæ Artic. XI. p. 808. 820. in subsidium vocat. De ea vero infra erit commodior dicens locutus. Tum ex Ezek. XIII. monet, *Scripturam sacram ad analogiam fiduci explicandam & adplicandam esse, non ad nutum aut preconceptas falsas hominum opinaciones trahendam.* Quod utinam in omnibus scriptis & in tota vita sua observasset Rechenbergius! Ita enim nec Enarrationem doctrinæ suæ de termino, nec tot Auctaria & supplementa, nec ipsam hanc nuperam Dissertationem vel consignaturus unquam, vel in dias luminis auras protrusurus fuisset. Nihil enim de Rechenbergiano illo ante mortem gratiæ termino in sacris V. & N. T. literis occurrit: Falsæ sunt & analogiæ fidei e diametro repugnantes opiniones, quas Rechenbergius & sectatores ejus de foribus gratiæ ante mortem penitus occlusis non ex Divino Verbo, non ex Prophetarum & Apostolorum scriptis, sed ex suo corde insipenter produxerunt. Itaque in concilio populi DEI nullus estiis locus, & in scriptura domus spiritualis Israels non scribentur, donec abjectis inanibus adinventionibus speculationibusque suis serio resipiscant.

§. IV.

Eadem Paragrapho XLII. fin. Sillogismum conformat, in quem in sequentibus paragraphis impetum faciat:

Cujuscunque doctrina assertio hominem in casu tentationis expertem solatii aut desperandum reddere potest, illa est neganda, imo damnanda:

Atqui

*Atqui assertio termini gratiae ante mortem totaliter indurato, a DEO
(ex voluntate consequente judiciaria) fixi, talis est: Ergo.*

In eo vero & Majorem sumptionem negat, & Minorem. Majorem instantiis quibusdam infringere annititur. Facile autem animadvertere potuisse Rechenbergius, quam frustraneo maceraret se labore. Nam postea §. XLVI. Majorem sic limitatam concedit: *Cujuscunque doctrina assertio hominem PER SE reddit desperandum, illa seu falsa repudianda venit.* Cur igitur non statim Majorem ita conformavit? Nonne in aprico verfant nostratum querelæ, hypotheses Terministicæ per se & propria sua natura & indole ad desperationem tendere? Quid attinebat, instantias ab ejusmodi dogmatibus petere, quæ per se nullam desperationi ansam præbere ipsem̄ noverat? Cur non statim in arcem caussæ invadere maluit? Cur non sine mora ostendendum suscepit, vitium in ipsa de termino gratiae ante mortem doctrina nequaquam harrere? Quid opus erat, integra folia completere instantiis ita comparatis, ut nihil plane ad infringendam Majorem facerent, dummodo ea recte & ex nostratum lententia concinnaret?

§. V.

Attamen consideremus instantias illas, videamusque, quanto discrimine a Terministicis hypotheses separantur. Primani inde desumit, quod non omnes, sed solos finaliter credentes electos esse statuamus. *Doctrina* inquit §. XLIII. *de paucorum ex previsa fide, electione ad eternam vitam a Deo ab eterno facta,* Eph. I. 4. que non mutatur Rom. XI. 29. *in statu gravissime temptationis potest hominem desperandum reddere.* Qui latentatus (quod D. Samuel Huberus olim maxime urgebat,) cogitare potest, cum electio sit particularis, & tamen ab eterno (licet ex previsa fide) certo DEI decreto facta sit; ita ut numerus electorum sit immutabilis, ut nec augeri nec minui possit, juxta Formulam Concord. Artic. XI. p. 801. etiam in hanc temptationem incidere queat; ut persuasum habeat, se non esse in illo paucorum electorum numero a DEO ab eterno constituto. At vero ingens discrimen inter hanc doctrinam & Terministicas hypotheses intercedit. (1.) Non omnes, sed solos in fide perseverantes Divinitus electos esse Scriptura apertissime docet, Eph. I. 4. Matth. XXII. 14. conf. Marc. XVI. 16. Ebr. X. 38. 39. Itaque nunquam illa vel neganda vel in dubitationem revocanda erit, etiamsi cœlum & terra corrue reberent. At determino gratiae ante mortem nullum occurrit in Scripturis ve-

Figum, quæ diserte testantur, DEUM tota die expandere manus suas
 ad populum rebellem, Es. LXV. 2. miserationes DEI omni mane es-
 se novas, Thren. III. 23. Christum ad se vocare omnes onera-
 tos, Matt. XI. 28. gratiam revocatricem ad ipsos ἀπηλυμότας Ephesi-
 os, Cap. IV. 19. ad datos in mentem reprobam Romanos Cap. I. 28.
 pertinere, quin & obstinatissimis Judæis, de quibus Es. VI. 9. 10. Joh.
 XII. 40. agitur, hanc gratiam in media excæcatione tam sufficienter
 fuisse oblatam, ut veritatem Evangelii abunde cognoscere potui-
 sent. Danda igitur est DEO gloria, & rejicienda Terministica o-
 pinio, quam in sacris literis rejectam esse videmus. (2.) Siquis pau-
 citate electorum se angat, firmum & immotum solatum est in prom-
 ptu. Nemo quidem electus est, nisi finaliter in fide perseverans. At DEUS
 omnibus & proinde etiam tibi, qui cum tentatione illa consuetaris, fidem offert,
 Act. XVII. 31. Paratus etiam est, ut te in fide salvifica conservet, dummodo
 eam ipse mea destinatio non abicias Job. X. 28. Rom. V. 10. Phil. I. 6. cap.
 IV. 7. Quod si eam abjeceris, tamen sufficientissimam ad conversionem gra-
 tiam tibi usque ad finem vita largiri decrevit, Ezek. XVIII. 23. 30. 31. 32. Cap.
 XXXIII. 11. 1. Tim. II. 1. 6. 2. Pet. III. 9. per quam etiam certissime iterum con-
 vertieris, modo eam non petulanter rejicias, & repudies. Valeat ergo anxie-
 tas illa & moror. Intuere vulnera Christi, & sanguinem protœ effusum, ex
 istis fulgebit Predestinatio. Haec certe plena sunt veri solidique solatii.
 Nam si quis Divinam sibi gratiam patere novit, neutiquam necesse
 habet, ut tempus in numero electorum indagando vana curiositate
 consumat. Integrum enim ipsi est, Divinam amplecti misericordiam,
 quam non longe a se remotam, sed præsentem esse, & a DEO
 sufficientissime offerri ex universalissimis Scripturæ dictis per infallibilem
 prorsus consequentiam addiscit. Quod si quis vero in hanc
 tentationem incidat, num janua gratia sit occclusa, nullum veri no-
 minis solatum proferre poterit Terminista. An enim DEUS ipsi ad-
 huc gratiam offerat, eumque adhuc salvum fieri velit, ignorat. Ita-
 que nihil amplius superest, nisi ut incertis conjecturis quibusdam eri-
 get tentatum, id est, magis adhuc præcipitem in desperationem agat,
 cum salus nostra Verbo DEI, non autem incertis quibusdam conse-
 cuturis niti debeat. (3) Huberiana sententia nihil solatii in ista ten-
 tatione præbere poterat, prout egregie edisseruit B. Hutterus, Ex-
 plicatione Formulae Concordiae pag. 1150. Observandum est, inquit
 Coronidis quasi loco, quam bella consolatio ex doctrina Huberi, ad hominem
 sensu

sensu ire divine & aeternae damnationis fractum confernatumq; redundare pos-
 sit. Nam his verbis talis consolandus fuerit. Non est ut dubites, an sis filius Dei,
 heres vita aeterna. Quare? Homo enim es, jam vero Deus omnes homines, nemi-
 ne excepto, sive credat, sive non credat ad vitam eternam ordinavit & elegit.
 Quare te quoque elegit: ac proinde haud est, quod desperes de salutis tue cer-
 titudine. Hactenus Huberi consolatio. Sed quid si talis homo inferat: Si il-
 lud unicum solatii loco mihi est relictum, quod Deus omnes homines etiam in-
 credulos advitam ordinavit & elegit; certe mibi privilegii nihil erit concessum
 pre Turcis, Judeis, gentibus, & aliis impiis ac infidelibus hominibus, qui cum
 hac sua Electione ad infernum descendunt; Quorū ergo nunc me convertam?
 Hic certe Huberius tamē hominem sic in desperationis abyso quasi constitutum
 vel plane deserat, neceſſum est, vel abjecto priore delirio, hoc ipsi adamum
 revocet, Deum videlicet Prædestinationis decreto inclusisse tantum eos, qui in
 merito Filii vera fide acquiescant, & tales aeternum salvati. E contrario Ec-
 clesiarum nostrarum doctrina de apertis usque ad mortem gratiae
 foribus plenissima est abundantissimæ consolationis. Nam si fore
 gratiae patent, quid obstat, quo minus eas intret tentatus? Obstat sane
 Satanas, obstant impiis suis opinionibus Terministæ, obstat propria
 caro & sanguis: verum nec Satanæ, nec Terministarum nec propriæ
 carnis habenda est ratio, sed ingrediendū in portas gratiae, & abjici-
 enda incredulitas, per gratia a Spiritu Sancto tam benevole oblatam.

§. VI.

Alteram instantiam a Peccato in Spiritum S. depromisit Re-
 chenbergius §. XLIII. XLIV. XLV. Atvero (1) ne ipsis quidem Pec-
 catoribus in Spiritum S. gratiam conversionis a DEO denegari ex
 Act. VII. 51. Cap. XVII. 30. 31. probavimus Confutatione Terminis-
 tici Erroris pag. 29. Idem apparet ex Ebr. X. 29. Si enim Spiritum
 gratiae contumelia afficiunt, sequitur, Spiritum GRATIAE iis of-
 ferri (2) Peccatum hoc non sua natura, sed propter crea irremissibile
 dici, quod Deus præviderit, neminem eorum, qui peccatum in
 Spiritum S. commiserunt, gratiam Divinam admissurum esse, ex B.
 Huttero, B. Hunnio, B. Gerhardo, & B. Dorscheo ostendimus Sche-
 diasmate ad paginam Rechenbergianam 44. & 60. (3) B. Calovius
 Tom. X. Systematis pag. 617. expresse profitetur, Peccatum hoc NON
 OB DEFECTUM GRATIAE DEI aut expiationis per Christum facta irremis-
 sibile esse. Et pag. 615, negat, peccato in Spiritum S. simpliciter gratia fo-
 res clausas esse. Unde intelligi potest, non esse, cur Rechenbergius
 ad B. Calovium provocet, (4) Dogma de Peccato in Spiritum S.

Ter-

Terministicas opiniones fortissime evertit. Cum enim Christus aperte testetur, nullum aliud peccatum esse irremissibile, uno velut i^ctu corruere oportet Terministarum dogma, innumerabilibus hominibus, qui Peccatum in Spiritum S. nequaquam commiserint, tamen januam gratiæ hac in vita præcludi. (5) Nonnulli forte Theologici statuunt, Deum Peccatoribus in Spiritum S. non amplius misericordiam exhibere velle, sed ea peculiaris sententia est, ad quam amplectendam neminem obstringere cupiunt. Interim hæc quoque peculiaris Theologorum quorundam doctrina plurimum a Terministico errore differt. Non urgebo jam, Peccatum in Spiritum S. rarissimum esse, ita ut hodie vix inter viginti vel triginta myriades hominum unus occurrat, qui illud vere pleneque commiserit. Terninistæ autem gratiæ fores præcludere satagunt multis myriadibus mortalium, sicut ex propriis eorum scriptis ostendimus Confutatione Terministici erroris pag. 9. 10. 13. Imo si quis rigidius paulo in Terministarum sententias inquirere vellet, procul dubio deprehenderet, eos longe maximæ hominum parti terminum gratiæ anti mortem figere: cum ex. gr. Rechenbergius doceat, decem tribus usque ad tempora Apostolorum nullam revocatricem gratiam habuisse, Addit. VIII. pag. 25. med. & ferme omnes hodiernos Judæos, ac gentiles illos, qui præconio Evangelii defituuntur, & per? multos in orthodoxo viventes coetu, & fortasse etiam maximam Pontificiorum partem in eam classem compingat. Tota adeo die terminus gratiæ ante mortem occluditur ex Novatorum sententia: sed Peccatum in Spiritum S. multo rarissime occurrit. Ad illud non magnopere urgebo. Id solummodo nunc observare liceat, ita a Theologis irremissibile in Spir. S. peccatum describi, ut tentatus haud difficulter colligere queat, se illud peccatum haudquaquam commisisse. Non enim peccatum in Spiritum S. circa vitam & mores occupatur, sed circa Evangelium: ita ut illud post sufficientem ejus cognitionem plenissima voluntatis libertate & sine ulla coactione aut metu periculi pertinaciter abnegetur, & hostiliter oppugnetur & blasphemetur. Si enim vel ex erronea persuasione & seductione, vel ex metu periculi fiat, erit tantum blasphemia contra Filium Hominis, quam remissibile esse testatur Christus Matt. XII. 31. 32. Hujus itaque rei facile quis potest esse conscientius, quod non post sufficientem cognitionem plenissimam voluntatis libertate, fine

fine illa coactio[n]e, fine ullius periculi metu Evangelium p[er]vicaciter & hostili-
ter & eo, quo nonnulli Phariseorum faciebant, modo abnegaverit, oppugna-
verit, blasphemaveritque. Sic B. Aegidius Hunnius, in adolescentia sua
a pravis sodalibus ad varia peccata inductus, tandem in eam tentatio-
nem incidebat, num in Spiritum S. peccavisset. Cum vero lectio-
ni cuidam intercesset, Spangenbergii Margaritam Theologicam
apertam reperiebat, incidebatque in eum locum, in quo de Pecca-
to in Spiritum S. agebatur. Hinc animadvertebat, se nequa-
quam illud Peccatum admisisse, gratiasque agens Supremo Numinis
in animo suo statuebat, quod in posterum Deo benedicente pietatis
studium consecrari vellet, vid. Melchior Adamus in vita Hunni pag.
724. An vero Terminus gratiae jam elapsus sit, secundum Novatores tā
obscura & perplexa quæstio est, ut vix maximo labore & difficultate
decidiqueat. Non magis ergo Terministas juvat instantia hæc,
quam Calvinianos, qui itidem ex Peccato in Spiritum S. prætextum
arripiunt, ubi Particularismus desperationis arguitur.

§. VII

Ad Minorem progredimur. Atqui assertio termini gratiae ante mortem, totaliter indurato a DEO (ex voluntate consequente judiciaria) fixi hominem per se reddit desperandum. Negat eam Rechenbergius paragrapho XLVI. & Formulam Concordiae sibi patrocinari gloriatur. Audiamus ergo, quid expia Concordiae Formula afferat. Ut enim Deus in eterno suo consilio ordinavit, ut Spiritus S. electos per verbum vocet, illuminet, convertat atque omnes illos qui Christum vera fide amplectuntur, iustificet, atque in eos eternam salutem conferat; Ita in EODEM SUO CONSILIO DECREVIT, quod eos, qui per verbum vocati illud repudiant, & Spiritui S. (qui in ipsis per verbum efficaciter operari, & efficax esse vult) resistunt, & obstinati in ea contumacia perseverant, INDURARE, REPROBARE, ET AETERNAE DAMNATIONI DEVovere VELIT. Et secundum basrationes intelligendum est, quod scriptura dicit: Moltos vocatos, paucos vero electos esse. Act. XI pag. 808. Et pagina 810. Magna cura con-
siderandum; Q[UA]ND[O] DOMINUS PECCATA PECCATIS PUNIT,
b. e. cum eos, qui aliquando conversuerant, propter subsequentem securita-
tem carnalem, impunitentiam, contumaciam in sceleribus, & propter volun-
taria flagitia PUNIT EXCAECATIONE ET INDURATIONE: id non ita
accipiendo esse, quasi Deus nunquam serio voluisse, ut tales ad agnitionem
veritatis pervergiant. Ut enim hæc voluntas Dei revelata est; quod Deus
omnes

omnes respicientes & in Christum credentes in gratiam recipere velit : ita & hoc est Dei revelata voluntas, quod eos, qui sponte se a sanctissimo Dei mando avertunt, in coinqinatione mundi se denuo implicant, & Satanæ coradornant, Spiritumque gratiae contumelia afficiunt, severissime punire velit, & quod tales, si in impietate perseveraverint, INDURANDI, EXCOECANDI, ET IN AETERNUM DAMNANDI SINT. Quid in his est, quod vel minimam speciem præsidii Rechenbergiano dogmati afferat ? Deus de iis, qui resistunt Spiritui S. & obstinati in ea contumacia perseverant, in aeterno suo consilio decrevit, quod eos indurare, excæcare, & aeternæ damnationi devovere velit. Qua fronte inde exterebrare audet Rechenbergius, januam gratiæ jam in hac vita claudi ? Urget, indurationem & excæcationem jam ante mortem fieri. Egregia vero illatio ! Induratio & excæratio jam fiunt ante mortem ; Ergo etiam ante mortem aeternæ damnationi devoventur, omni gratia r̄evocatrice prorsus ablata. Magistratus in animo suo decernit, quod homicidas per lictores in carcerem conjicere, sententiam capitalem contra eos pronuntiare, & executioni dare velit. Atqui sepe carceri mandantur, antequam capitalis sententia pronuntietur. Ergone etiam necessarium est, ut sententia capitalis pronuntietur, antequam pronuntietur, & duo contradictria simul sint vera ? Aliam eamque magis adhuc cognatam instantiam dare proclive est. Deus decrevit, quod pertinaces gratiæ contemptores indurare, excæcare, & in ignem infernalem actu proturbare velit. Atqui jam ante mortem indurantur, & excæcantur. Ergo secundum Rechenbergianam inferendi rationem jam ante obitum in ignem infernalem actu proturbantur. En quam fulneis consequentis Terminista nitantur ! De Pharaone monet Formula Concordiæ, quod cum Dominus ipsi verbum ac voluntatem suam annunciarci curaret : Pharaon vero nihilominus ex proposito & destinata malitia simpliciter, ADVERSUS OMNES EXHORTATIONES ET ADMONITIONES contumaciter insurgeret : Dominus manum ab eo suam retraxerit, eum deseruerit : atque ita eorū ipsius induratum sit, & Dominus justum judicium suum adversus eum executus sit. Perperam igitur Rechenbergius ad Ex. IX. 16. provocat. Adhuc postea enim DEUS exhortationes & admonitiones suas Pharaoni per Mofen & Aronem proponi curavit. Ex. X. 3, seqq. Nondum itaque Ex. IX. 16. claudebantur fores gratiæ. Verissimum est, quod Deus manum a Pharaone retraxerit. Ex-panditad

pandit ad impium Regem manus suas, quoties Mosen ad eum misit, quoties miraculum edidit, quoties alia ratione & vel per proprios servos (Ex. X. 7.) cor ejus tetigit. Sed retraxit etiam manum, deseruitque, quoties oblatam gratiam repudiavit, cum Deus nec Pharaonem nec alios per vim & obtorto quasi collo in cœlum rapere soleat. Id enim infra dignitatem cœlestis gaudii foret, irreflexibiliter obrudi invitis & repugnantibus. Ita cor Pharaonis indies magis magisque induratum est. Tandem etiam mensura peccatum prossus impleta accessit finalis induratio & executio judicii, dum præcipitatus in mare interiit. Ex Deut XXVIII. 28. Et. VI. 8. Ebr. III. 7. 8. Terministicam opinionem profligavimus Confutatione Terministici Erroris pag. 38. 42. 25. Ebr. VI. 4. agitur de Peccato in Spiritum S. de quo paulo ante commemoravimus, quantum sufficerit. Ebr. XII. 15. 16. 17. itidem de hoc peccato sermo est, videatur Seb. Schmidii kurze Erklärung pag. 732. 733. B. Dannhauerum alienum a Terministicis portentis fuisse Schediasmate nostro ostendimus. Nec minus B. Wilhelmmum Lyserum, & B. Seb. Schmidium a Terminismi suspicione vindicavimus.

§. VIII.

Subtili acumine se uti Rechenbergius arbitratur, dum §. XLVIII. init. disputat, mortem corporalem tantum passionem hominis esse, adeoque nullum in gratia & salutis anima vel conferenda vel deneganda influxum caussalem habere posse. Non enim hominem, quia moriatur, omni gratia excidere, & damnari, sed quia non perseveranter & finaliter credit. Quid vero hoc ad rem facit? Ob mortem in se spectatam hominem non damnari novimus, cum fideles per mortem ex regno gratiae in regnum gloria transferantur. At Scripturæ docent, in hac, non in altera vita esse tempus pœnitentia. Si ergo homo propria culpa hoc tempus prætermittat, & ad æternitatem sine seria pœnitentia transferatur, fores gratiae in aeternum clausas habebit. *Constitutum enim hominibus est, semel mori, postea et vergi judicium.* Ebr. IX. 27. Joannis III. 18. de omnibus, qui in crudelitate obeunt, sermo est. Si ergo ex phrasijam judicatus est, terminus gratiae ante mortem elici posset, universis, qui tandem damnantur, jam in hac vita fores gratiae clausæ essent, quod tamen Rechenbergius ipse negat. Röm. I. 28. Confutatione Terministici erroris pag. 58. 59. abunde vindicavimus. Hulsemanni verba Rechenbergio ediametro reputant.

gnant. Statuit euim, ipsis etiam Peccatoribus in Spiritum S. (de quibus Paulus Heb. VI. 4. loquitur,) communem & efficientem gratiam non deesse. Itaque nec iis erunt fores gratiae prorsus occlusæ. Hominis penitus indurati conditionem non aliam esse, quam Epulonis extra omnem veniam spem positi, non simpliciter, sed pro substrata materia accipendum est, hominem videlicet, quando & quamdiu Divinam gratiam pertinaciter repudiat, non magis sibi in isto statu veniam polliceri posse, quam Epulonem in inferno. Inde vero minime inferre licet, Deum nolle ejusmodi homini gratiam suam largiri, ut ex isto statu per veram pœnitentiam in aliud transferatur. Similia enim ultra suum tertium extendi haud decet. Quantopere totus Jeremias Terministis aduersetur, clarissimis exemplis Confutatione Terministici Erroris pag. 40. 41. evicimus, aduersus quam aduersarii in hunc usque diem ne mutire quidem ausi sunt.

§. IX.

Paragrapho XLIX. nihil responsione dignum attulit Rechenbergius. Itaque sine mora ad §. L. nos convertimus. Illâ testimonia quadam ex B. Lutherô aliquis Theologis allegat, sed ita comparata, ut nullis fidiculis inde Terministum extorquere liceat. Tomo IV. Altenb. pag. 544. de Peccato in Spiritum S. commentatur, quod irremissibile esse haud gravatim confitemur. Pagina 545. Megalander eos, qui manifesta peccata defendant, & pro peccatis haberi nolunt, non simpliciter Peccatoribus in Spiritum S. annumerat, sed aliquo pacto iis affines esse docet, (neben dieser magst nun auch mit zehlen) Qui aperta peccata tuerintur, contra gratiam & remissionem peccatorum omnino pugnant. Num vero Rechenbergius omnibus illis fores gratiae proris præclusas esse statuet, qui manifesta peccata approbant, ac defendant? Nonne persæpe contingit, ut homines contra gratiam & remissionem peccatorum pugnantes tandem se a gratia Spiritus S. superari patientur, atque sic convertantur. Nec magis ex verbis illis, isti nun nicht mehr eine menschliche Sünde / sondern eine verzweifelte Teufelsche Bosheit/ sequitur, fores gratiae penitus jam ante mortem claudi. Si quis cum Corinthio illo 1. Ep. V. 1. novercam matrimonio sibi jungeret, ne mo in Saxonia hac phrasi uti vereretur, es sei eine unmenschliche verzweifelte teufelsche Bosheit. Attantum abest, ut Corinthio isti fores gratiae clause fuerint, ut actu sit conversus. 2. Cor. II. 6. 7. 8. De Sodomia

Sodomia eandem ploras in merito adhibueris. At tales erant Corinthiorum nonnulli ante conversionem & justificationem suam. 1. Cor. VI. 9. II. Tom. V. Altenb. f. 929. summo jure docet Lutherus, nimis diu cunctari, qui poenitentiam tamdiu differant, donec hora decretoria ingratuerintur, & mors ac Diabolus suis procellis irruant. Quis nostratum hoc inficiatur? Sane nimis diu cunctatus erat Saulus, dum gratiam per Stephanumque praeconium oblatam repudiaverat, cum gratia Spiritus Sancti dignitatis sit, ut statim & sine mora suscipiatur. Nec dubium est, quin persæpe ea de re in animo suo doluerit, quod tamdiu in sua incredulitate perficitur. Interim fores gratiæ haudquaquam fuerunt clausæ, quandoquidem in cœlis jam triumphat. Multo magis de iis, qui usque ad mortem poenitentiam differunt, dicere licebat Lutheru, es sey zu lange geharret. Tom. VII. Altenb. f. 151. docet Lutherus, patere gratiam, wenn man in der Zeit wiederum zu den Weinstock / das ist / zu der Lehr und Glauben Christi Fâme. Itaque in hac vita, quæ tempore constat, vid. Gen. I. 14. Ps. XCIV. 7. Ebr. III. 7. 13. datur poenitentia, in altera vita, ubi nullum tempus est, eam locum nullo pacto habere Orthodoxi contra fanaticos summo consensu docent. Pharao & Judas ad poenitentiam non poterant reverti, quia nolebant, sed Spiritui Sancti ad poenitentiam revocanti pertinaciter repugnabant. Unde B. Lutherus accurate hunc ordinem servat, quod nolint & nequeant redire. Quod vero non nisi in morte iis fores gratiæ occlusas docuerit, Schediasmate ex Tomo IV. Lat. Jen. fol. 792. a. f. & b. in. ac Colloqui mensal. fol. 105. a. f. Edit. Francof. de A. 1593. evicimus. Quod ab eo etiam procul dubio hausit B. Matthaeus, Concione ultima in Cap. I. Johannis pag. 156, sic scribunt: Wenn er auch schon Adams Übertretung / und Manassæ, Davidis, Judæ, und des Herrn Christi Kreuziger und aller Welt Häater wirkliche und thetliche Sünde auf sich hette / so ergreiffe er doch nur alleine diesen Treger und Versöhner aller seiner Sünden / Christum / welches Blut / Opfer / Todt / Verdienst / Fürbitte / und kräftige Wirkung größer und mechtiger ist / denn der ganzen Welt Sünde. Dum vero Rechenbergius Tom. VII. fol. 271. & 272. Orthodoxis opponit, charitatem Christianam gravissime violat. Nonne enim nostri maximo zelo docent, impossibile esse, ut adulterium, fornicatio & avaritia cum vera fide constant? Interim adulteris etiam, scortatoribus, & avaris Divinam gratiam

gratiam ad conversionem patere ab Apostolo Paulo 1. Cor. 9. 10. II.
 quin & ab ipso Christo Matt. XXI. 31. didicerunt. Qui pœnitenti-
 am agere nolunt, postea frustra querunt mitigationem poenarum
 tum in hac vita, tum in altera. In hac quidem, quod ad tempora-
 les attinet, in altera vero, quod ad æternas. Tom. VIII. fol. 677. Sic
 Epulo petebat, ut Lazarus vel extrema digiti parte in aquam intincta
 refrigeraret linguam ejus : sed in vanum. Luc. XVI. 24. Tom. IX
 Altenb. fol. 1558. vindicavit Dominus Christianus Reineccius, Vir
 præclaris pro veritate scriptis egregie de Ecclesia meritus Seet. IV.
 Epitomes pag. 678. Et quis sibi perluaderi pateretur, Terministica
 portenta vel in mentem venisse B. Luthero, qui innumerabilibus lo-
 cis ea scripsit, quæ cum Terministarum placitis apertissime pugnant?
Quid poenitentias inquit, si incertus sis, an remittantur peccata tua? Hac ratione non docentur impenitentes & securi, ad incipiendam penitentiam. Tomo I. Lat.
 Jen. fol. 520. b. in. At vero, si secundū Rechenbergianam sententiam
 jam in hac vita multis hominibus terminus gratia fixus esset, ita ut eo
 elapsō nulla ius peccatorū remissio obtingere posset, nemini certo es-
 se liceret, an ipsi retinenda, vel remittenda peccata forent. Eodem
 Tomo fol. 339. b. f. docet, hoc esse omnium gravissimum peccatum; existimare,
 quod & in verbo suo signo & opere, Deus mentiatur, item existimare, quod dicat
 & promittat, que præstare nunquam velit. Id autem DEO affingunt Terministæ, dum permultis hominibus gratiam amplius largiri nolle dis-
 putant, licet illis Verbum adhuc prædicetur, & sacramenta exhibe-
 antur. Tomo III. fol. 156. ad eosdem illos, qui sunt ita executi, ut
 DELM neque noscant neque inveniant, quantumvis querant, applicat votum
 illud; Utinam saperent & prudentes essent in hoc, & novissima intelligerent.
 Fol. 362. b. fin. hoc monito lectorum instruit. *Quicquid suggererit*
*Satan, simpliciter avertendus est animus, claudendi oculi & aures, ne quic-
 quam vel videamus præter Verbum promissionis de Christo, & de bona volun-
 tate Patris, qui Filium suum pro nobis tradidit, Sicut dicit Job. 3.* Sic Deus
 dilexit mundum, ut unigenitum suum Filium daret. *Quicquid præter hanc*
voluntatem placati & faventis Dei Satan suggererit, hoc tanquam volatiles &
inanis cogitationes animo ejice. Proinde eliminandæ animo sunt inanæ
 & volatiles cogitationes, quas satanas per Terministicam impieta-
 tem suggerit. Fol. 435. ex El. LXV. 2. inculcat, Deum expandere manus
 suas, se offerre, benefacere, rogare, comminari, idque QUOTIDIE. Sed
 eos ridere expansas manus, Prophetas occidere, & ire viam non bonam, secun-
 dum

dum cogitationes suas, Fol. 484. a. f. docet Sodomaorū terminū in morte exspirasse. Sicut inquit, & in Abrahamo videmus, qui tanta vēbementia pro Sodomorum salute oravit, ut etiam differret iudicium Dei, sed nihil promovit, poenitere noluerunt. Itaque tandem venit super eos ira Dei, & ad unum omnes sunt extinti Tomo IV. fol. 324. b. m. Matt. XI. 28. non coarctat ad homines peccatorum magnitudinem jam agnoscentes, sed Christum ultro invitare omnes, & adeo velle, ut nolentes ultro accersat, vocet, jubeat, urgeat, petat & omnibus modis tentet, ut ipsum revelantem audire velint. Fol. 381. b. med. admonet, tales peccatores, qui peccatores sint, & tamen non sentiant se esse peccatores, sed præfracta fronte perrumpant, se justificant, verbum Dci persequantur, procul arcendos esse ab omni misericordia, & ira dicta eis proponenda, quibus Deus non misericordiam sed aternas minatur poenas, sicut est sententia primi precepti, Ego sum Deus Zelotes, visitans iniquitatem Patrum in tertiam & quartam generationem. Proponend aetiam esse exempla iræ, interitum Sodomorum, Diluvii super omnem carnem effusonem, direptionem populi sancti, & que alia horribilia spectacula judicij & iræ Dei in scripturis existent. Cur vero? Ilt deducantur INSENSATI & impoenientes peccatores ad cognitionem sui, & serio incipient implorare misericordiam. Fol. 806. a. m. verbum Dti vocat instrumentum perpetuum, per quod movere accendere, illuminare homines velit Deus, imo prorsus mutare, ut qui hactenus fuerunt securi, primo incipient metuere iram Dei, & iudicium, ac emendent vitam. Quod si autem DEUS perpetuo vult illuminare homines per verbum suum, nec totaliter induratos ab hac voluntate Dei excludi par est. In Catechismo Majori pag. 412. ponderolissimis hisce verbis utitur. Et ob hos ipsos duros & præfractos homines, qui existimant, Deum, quia ad tempus continet, eosque securi sua potentia frui permittit, vel ignarum plane esse istarum rerum, vel earum cura non afficit, ratiocinatio uitetur plectendi sevitia, ut neque natorum natos oblivioni possit tradere, ut QUILQUE bœc repetens animo tantam animi securitatem & contemptum emendet, & videat Deum non jocari. Nam illi ipsi sunt, quos putat & perstringit, ita inquiens: Qui me odrant, hoc est, qui propria freti fiducia insolenter intumescent, atque ferociunt, qui QUILQUE QUID proconcione illis dicatur, audire recusant, qui correpti, ut prius quam obruantur supplicio, flagitosam vitam emendent, in furem ac rabiem vertuntur, ut ita omnibus modis Irā Dei egregie promere antur. En quatuore pia B. Lutheri doctrina Terministarum hypothesis aduersetur. Quando igitur infelices Terministarum Promachi Megalandrum in suas partes abriperi

conan-

conantur, merito ad eos accommodabitur Spangenbergii querela, daß solche Leute gleich woll wieder ihr Gewissen sich des Lutheri un̄ seiner Schriften / ihre Irrthum darunter bey den Einfältigen mit ungründe zu beschönigen rühmten / und auch bisweilen Zeugniß aus seinen Büchern anzögen / geschehe aus Gottloser fürgesagter Tollkuntheit / und ganz verstockter und unverschämpter Bosheit. Præfatione Concionis VIII. in memoriam Lutheri præmissa fol. A. pag. 4. fin. & 5. init. Comm. in Gen. Tomo III. primæ Noribergicæ Editionis fol. 214. a. docet, etiā Lutherus, *Portam Absolutionis NIL QUAM clausam esse debere peccatoribus. Er falle so tieff als immer er wolle. Tom. IV. Gen. fol. 30. inculcat, NE QUILS QUAM propter peccata sua animū desponeat, Deumque peccatoribus dicere admonet, si es lapsus, revertere, JANILA MISERICORDIÆ TIBI PATEAT.* Tomo V. Germ. fol. 515. 4. profitetur, wann er noch so viel Sünden gethan hatte / ja mehr denn zehn Welt thun könnten / so wisse er doch / daß Christus Tod und Auferstehung viel größer sey. Alia adhuc Lutheri testimonia, Schediasmate nostro pastim adduximus. Obiter & illud observare liceat, non in rigore semper sumendum esse in B. Lutheri scriptis terminum *irremifibilis vel inexpialis peccati.* Sic in Poſt. domeſt. fol. 333. a. legitur, Deum omnia peccata remittere, sed superbiam remittere nec posse nec velle. Neque tamen quisquam tam absurdus erit, ut sibi imaginetur, nullum superbum converti, veniamque consequi posse.

§. X.

Lutherus alias Theologos eadem Paragrapho L. jungit Rechenbergius, sed eadem injuria. Hunnii locum Schediasmate nostro paraphrasí illustravimus. Hutterus in Irenico vere Christiano c. 28. art. 3. p. 90. seqq. scribit, *quod Deus ejusmodi prefractus & induratus peccatoribus suam gratiam prius oblatam retrahat, & hominem deserat.* Quid illud ad præsentem controversiam facit? Si ex desertione statim sequitur occlusio januae gratiae, omnes a DEO desertos aeternum damnari, nec unquam converti necesse est: quod tamen ne ipse quidem Rechenbergius statuit. Quin & B. Hutterus Explicatione Formula Concordia p. 1076, fin. & 1077. in. diserte docet, *quod DEUS etiam erga hujusmodi populos, ex quibus ne unum quidem conversum iri perspicillatum habeat, & prefractos istos obstinatosque contemtores Verbi, misericordiam suam SEMPER SUFFICIENTISSIME declarat in eo, quod nullo absoluto decreto ipsos ab aditu Ecclesie prohibuerit, sed SEMPER FAMAM de vero*

vero cultu Dei ad ipsos pervenire sinat, ut forte ABJECTA ILLA INEX-
 PUGNABILI CONTUMACIA inquirant de vero illo cultu Dei, & ad externam
 tantum societatem Ecclesie se aggregent, externum auditum verbo predicato
 prebeat. Quod si facerent, tum certe Deus memor promissionis sua per audi-
 tum illum verbi, virtute Spiritus S. illos etiam converteret, & fide salvifica don-
 naret. Geierus cum B. Lutherio & Formula Concordiae sed non cum
 Rechenbergio sentit, quando Comm. in Ps. XXXII. 16. sribit, Tem-
 pus gratiae non esse illimitatum, aut in hominis arbitrio possum: verum a Deo
 benignissimo ratione loci, temporis persone modi sapientissime determinatum,
 Luc. XIX. 41. Jes. XLIX. 8. c. LV. 6. Ps. CII. 14. LIX. 14. 1. Cor. VI. 2. Prov. I. 24.
 Nam quod gratia terminum habeat, extra controversiam est: quod vero
 ratione oblationis aeternae salutis jam in hac vita ante mortem
 constitutus sit terminus iste, ida Rechenbergio evincendum erat.
 Dum B. Hulsemannum Vindic. Scrart. XIV. pag. 87. in suas partes
 pertrahere conatur, satis ostendit, quod oeconomiam voluntatis
 antecedentis & consequentis minus distincte consideraverit. Ni-
 mirum voluntatem antecedentem & consequentem dupli præci-
 pue modo considerari par est. Interdum respicitur ad ipsam actua-
 lem salvationem vel damnationem hominis. Ita voluntas antece-
 dens durat usque ad mortem: in morte vero demum incipit volun-
 tas consequens, ut homo vel in aeternam salutem transferatur, siquidem
 in vera fide obiit, vel præceps agatur in aeternam da-
 mnationem, ubi fidem finaliter repudiavit. Deinde consideratur vo-
 luntas tum antecedens tum consequens respectu vocationis ad poenitentiam.
 Atque hic semper arcte conjungitur antecedens voluntas
 cum consequente. Ex. causa. Voluntas Dei antecedens erat re-
 spectu Sauli, offeram ipsi gratiam regenerationis per circumcisionem. Affe-
 rebatur etiam ad circumcisionem Saulus: itaque voluntate conse-
 quente regenerabatur. Porro voluntas Divina antecedens erat,
 conservabo Saulum in fide per Sacramentum circumcisionis collata. Sed cum
 Saulus conservatricem hanc gratiam rejiceret, & Pharisaicis potius
 traditionibus quam Divino Verbo aures præberet: Deus eum volun-
 tate consequente deserebat, justoque iudicio ei auferebat gratiam
 justificationis & inhabitacionis Spiritus S. Interim non desinebat
 DEUS eum ad poenitentiam revocare per Apostolos, ut & per præ-
 conium Stephani voluntate antecedente. At quia Saulus
 animum suum contra præconium Apostolorum & Stephani obdu-
 rabat,

rabit, Deus voluntate consequente judicaria in incredulitate sua eum relinquebat, & peccata ejus puniebat peccatis, sic ut ob impoenitentiam ejus & antegressam concomitantemque contumaciam non impediret, quo minus cædem Stephani approbaret, de ea lætaretur, a Sacerdote summo peteret & acciperet epistolas Damascum ad Synagogas, animo Christianos ulterius persequendi. Neque tamen propterea fores gratiæ claudebantur. In itinere Filius Dei ipsi apparebat, concionemque habebat tum legalem, tum Evangelicam. Legalem quidem, dum projectum in terram increpabat, *Saul, Saul, quid me persequeris, durum tibi adversus stimulum calcitrare*, Act. XXVI. 14. Evangelicam vero, dum monebat se esse Jesum Nazarenum, velle autem, ut surgeret, & staret super pedes suos: *ad hoc enim se ci apparuisse, ut designaret eum ministrum & testem eorum que vidisset, & eorum, in quibus se ipse conficiendum prebiturus esset. Eruens eum ex populo & gentibus, ad quas nunc eum esset missurus: ut aperiret oculos eorum, ut converteret a tenebris ad lucem & potestate Satanae ad Deum, ad accipiendo remissionem peccatorum, & sortem inter sanctificatos, fide in Christum.* Cum itaque non resisteret Paulus, voluntate consequente ipsi salvifica conferebatur fides. Iam nullo negotio intelligi potest, quid sibi voluerit B. Hulsemannus. *Cavendum est, inquit, ne terminum ad quem voluntatis antecedentis ponamus ultra voluntariam contumaciam hominis, aut primam vocationem per Evangelium.* Ab his enim terminis initium capit voluntas consequens, seu præmia in hominem decernat, qua initia, sive qui cardines sumendi sunt ex particulis conditionalibus & objectis, de quibus predicanter, ut dictis alleg. Ps. LXXXI. si populus meus audiverit &c. Initium voluntatis consequentis seu decretum de beneficio conferendo sit ab auctoritate, ita e contrario Jer. XVIII. si avenerit se, pœnitabit me &c. Sole clarius est, meritissimum Virum neutiquam in ea versatum fuisse sententia, post primam voluntariam contumaciam hominis, vel post primum initium voluntatis consequentis decernentis supplicia januam gratiæ viventibus claudi. Expressæ enim adducit Jer. XVIII. 10. Eo vero loco proxime antecedentibus versiculis Deus testatur, *se repente locuturum adversus gentem & regnum, ut eradicet, destruat, & disperdat ille lud (en voluntatem consequentem judicariam!)* Tantum autem abest, ut tum janua gratiæ statim præcludatur, ut Deus addat, *si paenitentiam cogerit gens illa, se etiam paenitentia ductum iri super malo, quod cogitasset, ut faceret ei.* Itaque sententia B. Husemanni eo redit, cavendum esse,

esse, ne terminum voluntatis antecedentis *solitariae* spectatae ponamus ultra voluntariam contumaciam hominis, aut primam vocationem per Evangelium. Tum enim confessim incipit voluntas consequens, quæ cum voluntate antecedente in oblatione gratiæ individuo nexu ita conjungitur, quemadmodum paulo ante edidserimus. Nec dubito, quin Rechenbergiani de termino gratiæ errores magna ex parte inde propullulaverint, quod de voluntate antecedente & consequente sibi confusaneos formaverit conceptus. Quamvis enim perpetuo ferme distinctionem inter voluntatem antecedentem & consequentem in ore gerat, nimis tamen manifeste patet, quod utriusque naturam & indolem minus distincte accurate consideraverit.

§. XI.

Nondum dimitienda nobis est Rechenbergiana hæc paragrapthus. Gloriatur enim, terminum gratiæ ante mortem propterea descendum esse, ne per falsa & conficta solatia, contumaces peccatores in securitate sua confirmantur, ac inani spe subitanæ conversionis in ultimo vitæ halitu expectante laetentur & eternum pereant. Periculum enim & damnum animarum ex ist hac falsi solatii persuasione, quod omnibus penitus jam induratus in agone ultimo fores gratia pateant, prognosci. Quod siquidem veritati consentaneum esset, orthodoxis & piis in castra Terministarum plenis vexillis transeundum foret. Absit enim, nt ullum dogma vel proferatur in medium, veletiam defendatur, quod securitati & contumaciæ mortalium confirmandæ & alendæ inserviat. Summis potius viribus occurrentium resistendumque est pertinacia & securitati hominum, tum omni ætate, tum nostra in primis, qua contumacia & securitas profundissimas radices in animis mortalium egerunt: prout vel exemplo Pietisticæ cohortis patet, quæ hæresium suarum somno tam secure indormit, ut nec clarissima veritatis luce, nec severissimis Divinæ vindictæ exemplis se suscitari patiatur. Verum enimvero falsissimum est, vel nostram doctrinam ad securitatē alendam, vel Terministicas opiniones ad eam evel lendam minuendamque quicquam conferre. Et enim (1.) Paulus Apostolus aperite testatur, Rom II. 4. *divitias benicitatis & tolerantiae & longanimitatis Divinae*, quas contumaces peccatores secundum duritiem suam & cor penitente nescium contemnunt, thesaurizantes sibi ipsis iram in die ire, & revelationis justi judicij Dei, illos ad paenitentiam ducere. Jam vero maxime

sibi invicem repugnant, dicere ad pœnitentiam, & in securitate confirmare. Si ergo dogma de patentibus usque ad mortem gratia foribus, ex quo divitiae benignitatis & tolerantiae divinæ in primis apparent, totaliter induratos ad pœnitentiam ducit, nullo pacto eos in securitate confirmat. Atque hoc tam apertum clarumque esse judicat Apostolus, ut pudore suffundi oporteat, quicunque illud cognitum non habeat ac perspectum, *An divitias benignitatis contemnis, IGNORANS, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te ducat?* Quisquis adeo nostram vel potius omnium Prophetarum & Apostolorum de gratia Supremi Numinis usque ad finem vitæ cunctis patente doctrinam cum impuro Terministarum grege calumniatus fuerit, ac si viam ad securitatem sternat, ille se in densissimis tenebris & gravissima maxi meque erubescenda ignorantia versari sciatur. (2) Quo major est Divina benignitas, eo festinanti illam homines amplecti debent. Itaque non procrastinanda propterea pœnitentia, quod sciamus, fores gratiæ non nisi in morte claudi: Sed ruptis omnibus moris quam citissime agenda. (3) Si patentes usque ad obitum gratia fores ad alendam securitatem facerent, etiam remissio peccatorum Aaroni, Davidi, Petro, Paulo facta, idolatriæ, adulterio, per juris & abnegationi, blasphemiiisque ansam præberent. Falsum est posterius: cum exempla ista in Scripturis non propterea commemoarentur, ut homines labantur, & idolorum cultu, adulterio, similibusque altis sceleribus se contaminent, sed ut lapsi convertantur, & surgant. Ergo & prius. Sic Paulus ponderosissimis verbis docet, sibi blasphemio & persecutori misericordiam contigisse, ut in ipso primo demonstraret JESUS CHRISTUS omnem longanimitatem, IN EXEMPLUM illis, qui credituri essent in ipsum ad uitam eternam I. Tim. I. 16. (4) Recte adeo Patres primitivæ Ecclesiæ dogma hoc inculcarunt lapsis, non certe, ut securitatem iis ingenerarent, sed ut eos ad emendationem inflammarent. Nota Historia est, quæ in Vitis Patrum per Georgium Majorem cum Praefatione B. Lutheri editis, pagina 225. præmissa inscriptione hac, peccantibus semper surgendum, & agendum pœnitentiam, edifseritur. Cum quidam Abbatem Sylosum frequenter talem sermonem requireret, quid faciam pater quoniam cecidi, respondit, surge. At ille respondit, Exurrexi. Et iterum se cecidisse confessus est. Ait senex. Et iterum surge. Cum autem frater frequenter se surrexisse, & frequenter se cecidisse narraret, eodem

dem sermone senex uebatut, exclamans. *Non cesses exurgere fili.* Cui frater, *UIS QVE QVO possim surgere, explana.* Tunc senex ait. *Quousque aut in bone opere, aut in malo deprehensu OCCUMBAS.* In quo enim opere homo deprehensus fuerit, in eo judicabitur. (5) Ad securitatem excutiendam sufficientissima efficacia inest Divinae legi, quæ omnibus imponentibus denunciat iram DEI, & æternam damnationem. Hæc doctrina est malleus petras conterens Jer. XXIII. 29. Ea qui se comoveri non patitur, nec securitatem abjiciet, etiamsi millies Terministicas audiverit fabulas. (6) Stolidissima foret argumentatio : *Deus gratiam conversionis usque ad finem vitæ omnibus offerit.* Ergo penitentia procrastinanda. Quis enim novit, quousque Deus ipsi vitam prorogatus sit ? Ipsum vitæ principium est exordium mortis, quam in sinu homines gestant, ignari tamen, quæ dies, quæ hora, quod momentum vitæ finem allaturum sit. *Quid cras futurum sit, nescimus.* Qualis enim est vita nostra ? vapor est, qui per exiguum tempus appetat, & deinde disperat, Jac. IV. 14. Homines somnium sunt, & graminis instar, quod mane florens adolescit, & vespere arescit recisum. Ævum hominis instar nihili est coram Deo. Quandocunque summus Imperator jusserit, ut mortales hujus vitæ statione excedant, abeundum est, nec si omnes omnia sua consilia conferant, auxilii quicquam afferent, vel unicum momentum morientibus lucrabuntur. Multos punctum temporis firmos valentes & in flore ætatis constitutos abstulit. Quod si ergo mors inopinata ineptos hosce procrastinatores in ipso poenitentia differenda consilio oppresserit, actum erit de æterna eorum salute. Nec ulla dubitandi causa est, quin innumerableis eorum multitudo detur, quos mors inexpectata abripuit, frustra nunc in inferno cum divite epulione clamantes, frustra olim cum virginibus fatuis die judicii pulsaturos, ubi nemo aperiet januam gratiæ, quam justissimus judex ob finalem incredulitatem occlusit. (7) Etiamsi homo poenitendi moras nec tens affigatur lecto, & paulatim vi morbi lentioris exauriatur, horamque decretoriæ imminentem animadvertat, tamen certus esse non potest, se in morte non repudiaturum esse gratiam, quam eo usque pertinacissime rejecit. Sane tanta sunt Divinae longanimitatis divitiae, ut induratissimos quoque homines usque ad extremum halitum ad poenitentiam ducant. Nec in hominis potestate est, ut sibi ipsi terminum gratiæ ante mortem figat, cum supremæ

Majestati Dei repugnet, ut homo claudat fores, quam diu eas Deus aperit, vid. Apoc. III. 7. & conferatur Tractatus noster de Cœna Domini a Corruptelis Speneri vindicata pag. 58. usque 64. ubi immotis argumentis evicimus, quod homo sibi ipsi terminum gratia ante mortem constituere nequeat. Interim gratia non est irresistibilis, nec Deus homines ad salutem æternam amplectendam cogit. Quapropter fieri omnino poterit, ut ejusmodi procrastinator in ultima vita linea servet animum obduratum, & Satanæ ad finalem impoenitentiam incitanti morem gerat, ac spreta Divina benignitate diem eadem pertinacia obeat, qua Spiritui Sancto restitutus, cum adhuc firma valetudine uteretur. Magna pravæ consuetudinis vis est, & peccandi amor poenitentia procrastinatione minime minuitur, sed crescit in dies & augetur. B. Lutherum Virum pietatis studiosissimum ea tentatione adorietur Satanæ, ut S. Cœnæ usum modo in octiduum differret, quo melius præparatus accederet. Quod cum effluxisset, adhuc alia hebdomas eandem ob caussam prætermittenda videbatur. Hac elapsa, iterum id agebat Diabolus, ut B. Lutherus in sequentem diem Dominicum exspectaret, nec unquam procastinationum finis fuisset, nisi B. Vir animadversis Satanæ machinacionibus sine mora moras omnes abrupisset. Talia si piis eveniunt, ubi se ad S. Cœnæ usum paulisper differendum adduci patiuntur, quid non impis poenitentiam de die in diem procrastinantibus fiet? Habemus latronis in cruce conversi exemplum. Nec existimandum est, illud minus recte omnibus proponi, qui usque ad extrema vivendi spatia poenitentiam distulerunt. *Quæ enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Rom. XV. 4. Proinde recte & pie faciunt Verbi Divini præcones, dum quemlibet, qui in impenitentia eo usque perstiterit, in illud intueri jubent, ut quando impietatem ejus in vita consecratus fuit, poenitentiam in morte imitetur. Interim haud sine gravi caussa alterius latronis mentio simul in Scripturis injicitur. Certe non minus eum Divina misericordia ad poenitentiam revocare cupiebat. *Quemadmodum unus, ita & alter pendebat juxta latum Redemptoris, ut uterque omnia quæ agebantur, & que videret audeatque.* Imo isti, qui in incredulitate permanebat, peculiariter eveniebat illud, ut proprii socii conversionem videret, eundemque poenitentia præconem memorabili exemplo haberet, qui antea in flagitiis adjutor fuerat. Nihilofecius in incredulitate perseverabat sua.

sua. Sicut igitur conversi latronis exemplo apparet, nemini vel in extremo mortis agone desperandum esse, eo quod in hac vita gratia conversionis nunquam a DEO denegetur: ita vicissim finalis alterius impoenitentia docet, quam praefracte in ipso obitu misericordiam Divinam contemnere soleant, qui firma adhuc valetudine frumentes nullum ei locum relinquere voluerunt. (8.) Qui in misero versatur statu, eo quamprimum liberari cupit. Jam vero miseria omnium conditio est, qui peccatis dant operam. Carent remissione peccatorum, non sunt filii DEI, sed hostes, non admittit preces eorum DEUS, sed abominatur. Quicquid agendum suscepint, maledictionem comitem habent: ubicunque steterint, cuberint, federint, Divinam indignationem, diraque omnia secum circumferunt, non effugituri ea, quoconque se contulerint, abdiderintue. Sanctissimi Spiritus templa cum esse nolint, cloaca & mancipia Satanae sunt, a quo per innumerabilia flagitorum genera horribili tyrannide rapiuntur. Quis arthritide, cancro, lepra ita delectatur, ut non nisi post annos aliquot, vel etiam in summa senectute demum iis liberari cupiat, quis ex navis prolapsus versari diu in periculo, nec statim extrahi optat? quis flammæ ædes proprias corripiens sponte alimenta vel per unicum momentum præbet? qui si sibi inter truculentissimos leones, quorum fauces immani jam hiatus diuctas videt, per aliquid temporis spatium data opera hærendum esse arbitratur? quis in parte felicitatis ponit, si in gravissima paupertate, in caliginosissimo carcere, in teterrimo squalore diutius permanere queat? Qui ære alieno sic premitur, ut ei dissolvente nunquam sufficiens sit, in mora accipendi esse non solet, ubi amplissimæ opes munifice offeruntur: nulla Respublica sævissimos hostes adventare intelligens, munimentorum curam, donec in portas irrumpat, differendam esse existimat, si sapit: nemo ea in resciens volensque tarditati studet, in qua omnem moram pœnitenda pudendumque esse novit. Nonne igitur inconsideratissimæ dementissimæq; temeritatis est, pœnitentiam differre? Quantum quælo ludibrii procrastinatores pœnitentiae debebunt Satanae, quod ab eo diutius adhuc constringi catenis scelerum, quod calcari pedibus, ac per quilibet flagitorum sterquilinia raptari cupiant, quod in infernalis leonis faucibus usque ad summam senectutem hærere, quod in ejus gratiam exitialem peccatorum lepram tamdiu circumferre optent, quod

quod tam stulti sint & absurdii, ut usque ad extremum vitæ halitum deplorati animi duritiem servare velint, licet ipsi fateri necesse habent, se servari non posse, nisi de hac pertinacia ferio doleant? (9) Qui in fine vitæ pœnitentiam agunt, se ipsos defraudent multis gradibus gloriae, quos a Divina munificentia consequi potuissent, si fuissent per totam vitam suam accensus studio bonorum operum, & dum tempus habebant, operati essent bonum erga omnes. Tit. II. 14. Gal. VI. 10. At vero non levis ea jactura est, sed permagna utique, cum vel minimus gloriae cœlestis gradus Principale Regiumque in his terris culmen dignitate vincat. (10.) Imo DEO servire per se inestimabile bonum est, quod primo quoque momento arripi debet, non ad senectutem vel morbum usque differri. Recordare Personarum Creati-
um te in diebus juventutis tue, cum nondum venerint dies mali, & accesserint anni, de quibus dices: non est mihi in illis beneplacitum. Eccles. XII. I.
(11.) Terministarum sententia pœnitentiae gravissimum impedimentum affert. Ponamus, Præconem Terminismo infectum ad profligata vitæ hominem accedere, eundemque ad pœnitentiam hortari. Quod si tunc Auditor impius ex Terministico Concionatore querat, num pro certo affirmare queat, DEUM ipsi adhuc gratiam conversionis largiri velle: quid responsi daturus est? Si foret gratiae nondum ei clausas respondeat, instabit Auditor, num & quando igitur occulta & nullibi revelata DEI decreta contemplatus fuerit, ut sciat, constitutum arcano DEI Decreto terminum nondum effluxisse? Sin id sibi ignotum esse dixerit, frustra se de pœnitentia agenda admoneri regeret, cum ea sine Divina gratia agi nequeat. (12.) Ubi Terministicus Concionator comminatio-
nibus Divinis securitatem excutere animo aggressus fuerit, Auditor vero peccatorum suorum amore inductus eas admittere noluerit: paratum habebit prætextum, retractam esse a Verbo efficaciam, itaque nil mirum, quod illa non amplius commoveatur. Tandem res eo redibit, nil attinere, ut frustra tempus concionibus audiendis & scriptura legenda meditandaque teratur: esse se jam totaliter induratum, auditum Verbi ex intentione Divina nunc ad graviorem tantummodo condemnationem facere: præstare itaque, ut aures ab eo plane avertantur, nec animus maceretur imminentis certissime damnationis cogitatione: sed exiguum, quod forte superfit, vivendis patrum inter quascunque terrenarum voluptatum delicias hilari-

hilariter transfigatur. Cœli intrandi spem jam decollasse; nihil igitur sibi restare, quam ut cœlum quærat in terris, & seposita abjectaque omni rerum spiritualium cura ad agros, ad boves se conferat, rei domesticæ per fas & nefas prospiciat, thesauros undique congregat, nulla ditescendi media prætermittat; sive religio habenda venalis, sive opprimendi pauperes, viduae & pupilli, sive mendaciis & perjurii res perficiendæ sint, id in posterum sibi perinde esse deberet. En quantopere ad securitatem alendam faciat Terminismus!

S. XII.

Facile conjecturam facere potuit Rechenbergius, sententiam suam oppugnatum iri eorum exemplis, qui in peccatis mortalibus diu immersi & contumaces in fine vita pœnitentiam seriam contestati respuerint; Regerit igitur §. LI. ex eo, qui ejusmodi exemplis pugnaret, duo querenda esse (1) unde ipsi confiterit, quod hic vel ille atrox peccator ante penitus jam induratus, ac adeo in iudicio indurationis Divine constitutus fuerit, (de quo tantum sermo st.) (2) quo certo indicio sibi proditum, talis peccatoris pœnitentiam seriam seriam fuisse? Sed ad utramque interrogationem infallibilis & omni exceptione major responso in promptu est. Statuit Rechenbergius, nulli totaliter indurato postea unquam conversionis gratiam offerri. Si ergo commonstrari queant exempla, quod totaliter indurati vere & serio conversi fuerint, non modo plene sed & abunde satisfactum erit utrique ejus questioni, sive jam in fine vita sive diu ante obitum seriam pœnitentiam egerint. Ejusmodi vero exempla nobis Paulus Apostolus in Ephesiis conversis sistit Cap. IV. 17. 18. 19. Argumentamur Quidam ἀπόλυτοι fuerunt actu & vere conversi. Οἱ ἀπόλυτοι sunt totaliter indurati. E. Q. totaliter indurati fuerunt actu & vere conversi. Minor est ipsius Rechenbergii. Majorem ex circumstantiis Textus ad oculum demonstravimus Confutatione Terministici erroris pag. 38. Si quis plura exempla desiderat, en alia! Manasses seriam egit pœnitentiam. Manasses fuit totaliter induratus. E. Q. totaliter induratus seriam egit pœnitentiam. De Majoris veritate testatur Divinus Scriptor, 2. Chron. XXXIII. 12. 19. Minorem negat Rechenbergius, sed probamus eam in sequenti Pro-syllogismo. Quicunque magis fuit induratus, quam totaliter indurati Cananei, ille totaliter induratus fuit. Atqui Manasses. E. Propositio ex terminis clara est. Asumptio patet ex 2. Chron. XXXIII. 12. ubi Manassem ita seduxisse Hierosolymitanos legimus, ut deterius se gererent Cananæis,

D

næsis,

nais, quos in totaliter induratorum numerum Terminusse passim referunt. Comate 10. subjungit Divinus Scriptor, Manasiem cum populo non attendissecum Dominus ad eos loqueretur, recte & significanter vertente Lutheru, Und Wenn der HERR mit Manasse und seinem Volk reden ließ/merksten sie nichts darauf. Porro: *Filius prodigus seriam egit paenitentiam; Filius prodigus fuit totaliter induratus. Ergo. Majorem & Minorem docet Christus, Luc. XV. 12. seqq.* Petierat partem bonorum ad ipsum pertinentem a Patre: mox universis, quibus eum optimus Parens procul omni dubio retinere allaboraverat, admonitionibus contemptis in regionem longinquam se contulerat, id est, a facie Dei sive ex Ecclesia abierat, ne cohortationes Patris amplius audiret. In longinqua regione dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriose, Confusus UNIVERSIS rebus suis fames inguebat, eaque vehemens: Attamen nolebat agnoscere, quid e re sua esset, mirabili contumacia uni civium regionis ejus adhærebat, porcis in agro custodiendis victum queritans, nec reversurus ad Patrem, si vel siliquas, quibus porci vescebantur, ventris implendi caufsa nancisci potuisset. Tanta erat miserrimi hominis pervicacia & obstinatio! Quod si quis eum his verbis allocutus fuisset: *O homo tot aliter indurate, quando paenitentiam acturus es? nullam de acrinimis increpatione conquerendi caufsam habuisset.* Num autem decernebat in animo Parens, se ipsi propter inflexiblem contumaciam nihil amplius gratiae largiturum? Imo vero nihilofcetus inspirare pergebat filio cogitationi, quam, uti Augustinus præclarissime docet, nunquam fuisset habiturus, nisi eam a Parente accepisset. Sic Paternæ benignitatis consideratione adductus revertebatur ad Patrem, quem tam graviter læserat, cui se immorigerum præstiterat in rebus omnibus, quem peregrino & ne siliquas quidem suppeditare volenti homini postposuerat; confessurus, se peccasse in celum & in conspectu ejus, nec dignum esse, qui amplius filius appellaretur. Nec repellebat eum Pater, sed cum longe adhuc abesset, misericordia commotus currebat obviam, irruensque in collum figebat osculum, beneficiisque adeo cumulatum reddebat, ut major natu filius astuaret in vidia, fratremque tam benigne exceptum esse morose stomacharetur. Præterea *Latro fuit in fine vite vere & serio conversus: Latro fuit totaliter induratus.* Ergo quidam totaliter induratus fuit in fine vite vere & serio conversus. Majorem quidem in dubitationem revocat

cat Anonymus Terministici Erroris Promachus, suspicatus, latro-
nem hunc fortasse jam antea in statu gratiae versatum fuisse, vid. Ad-
ditamentum IV. Rechenbergianum pag. 8. med. Sed id aperte re-
pugnat Evangelista Matthæo, qui diferte testatur, latrones cum
Christo crucifixos ei exprobrasse, Cap. XXVII. 44. Quare, cum
duo solummodo latrones tunc acti in crucem fuerint, recte colligi-
mus, utrumque eorum initio blasphemias in Christum evomuisse,
conf. B. Gerhardi Conciones de Passione Christi pag. 415. Imo
nec ipse Rechenbergius affirmare audebit, latronem non demum
in cruce, sed jam antea conversum fuisse, quandoquidem Addita-
mento II. pag. 33. med. sine circuitione professus est, Gott habe
den Schächer am Creutze befehret. Ut necesse adeo sit, eum ex me-
ro veritatis odio & reclamante conscientia approbase, & quarto suo
Additamento inseruisse vanissimas lucifugi Auctoris nugas. Mi-
nor itidem radiat sua luce. Etenim non modo vitam inter latroci-
nia transfererat, sed & raptus jam ad supplicium affixusque cruci mani-
facta ingentis contumaciae documenta dabat, dum contemptis omni-
bus illis, que in ædibus Pilati & via audiverat videratque, nec quic-
quam inscripto Pilati jussu elogio, quo Ethnicus Provinciae Præses
singulari DEI Providentia JESUM Regem Judæorum esse docue-
rat, vel ipsorum Sacerdotum de miraculosa aliorum sanatione testi-
monio, commotus, unigenitum æterni Patris Filium probris & con-
victiis adorabatur, qui pro ipsis & totius generis humani peccatis
ineffabiles cruciatus perferebat: conf. Marc. XV. 32. Frustra re-
gessit Rechenbergius, Latronem hunc non fuisse totaliter induratum,
quia tandem conversus sit. Eadem enim ratione inferre licet, pri-
mos Parentes nostros non totaliter amisisse imaginem Divinam, quia per Spir-
itum S. in iis postea fuit reparata; & Davidem per adulterium & homicidium
non totaliter excidiisse gratia, quia iterum eam est adeptus. Et quis nega-
ret domum aliquam vel urbem penitus fuisse combustam destruamque, hoc
usus medio termino, quod postea esset de integro exstructa? Redissime
proinde Theologi Evangelici docent, totaliter & prorsus induratis
januam gratia adhuc patere. Sic B. Hoeus in Confutatione Ora-
culi Dodonæi sine circuitione scribit, INDURATISSIMOS Judæos
& Gentiles non tantummodo converti potuisse, sed & actu fuisse
conversos. Gott habe die verhärtesten Juden und Heyden befeh-
ret. B. Gesnerus in Passione Christi pag. 244. med. monet, eos qui

semel pietatis & charitatis limites sunt transgressi, nulla amplius vercundia
 retineri, sed in quodvis flagitium precipites & PRORSUS EXCAECATOS
 raptari: Captivos enim teneri a diabolo juxta voluntatem ejus 2. Tim. 2. Quis
 vero tam absurdus foret, ut sibi persuaderet, B. Gesnerum eos pro
 inconvertibilibus habuisse, qui semel pietatis & charitatis limites sunt
 transgressi: in primis cum Apostolus Paulus allegato a B. Gesnero
 loco diserte testetur, illis qui capti videntur a satana, dari posse a Deo resi-
 picientiam ad cognitionem veritatis. B. Calovius Tomo VII. Syst. pag.
 46. in. contra Calvinianos urget, CHRISTI M ad Iudeos ipsos MAXIME
 EXCAECATOS & incredulos palam professum esse, Job. V. 34. Hec dico vo-
 bis, ut vos salvemini. B. Seb. Schmidius Annot. in Genesin pag. 74.
 75. Decretum Divinum, delebo hominem, quem creavi de super faciebus ter-
 ra, ita interpretatur, ut observet, Decretum Dei per remtorum & irevo-
 cabile fuisse de pena temporali, non tamen negasse omnem paenitentiam homi-
 nibus ad effugiendam eternam: quamvis EXTREMÆ MALITIÆ corruptio
 in iis fuerit. B. Lassenius primam Epistolam des verruchten Capri-
 naums dedit an eine ganz ruchlose / schere/ und ihres Heils nicht
 wahrnehmende Person pag. 3. quam tamen pag. 15. his verbis allo-
 quitur. Ihr seyd auf eßlem Wege: Wählt ihr keinen andern? Ver-
 den wir in der seligen Ewigkeit nicht zu sammen bleiben. Der Ruch-
 lose verdammet sich selbst / Prov. 12. v. 2. so lang er ein solcher bleibt.
 Von euch habe ich bessere Hoffnung: Wil auch Gott fleißig anrufen/
 daß er euch erlächte Augen gebe/ zu sehen/ wie nahe ihr euren Ver-
 derben seyd. Nec quisquam Orthodoxorum Spangenbergio vitio
 vertit, quod Concione VI. in B. Lutheri memoriam habita scripsis-
 set, es habe Gott aus Gnaden wol mehr Leuten die zum tieffsten
 ab vor im Papstumb versoffen gewesen/ die Augen erlächtet/ pag. 14.
 Quæ nisi constans omnium Theologorum sententia fuisset, sine
 dubio eam in Spangenbergio reprehendissent orthodoxi, quem
 admodum Flacianos ejus errores justa censura prosecuti sunt. Imo
 propriis etiam telis confici Rechenbergius potest, quandoquidem
 Synonymæ ipsi phrasæ sunt, esse totaliter induratum, & in judicio indu-
 rationis Divino versari. Unde fluit argumentum. Si nullus totaliter induratus
 est convertibilis, fieri etiam (ex Rechenbergianis hypothesisibus
 loquor) non potest, ut ullus in judicio indurationis constitutus ad paenitentiam
 perveniat. Falsum vero est posteriorius, Ergo & prius. Minorem ita evincimus.
 Si omnis ille, quem Deus ob antegressam contumaciam deserit & indurat, ex iusto
 judicio

judicio induratur, sequitur etiam, quemlibet partialiter induratum in judicio indurationis versari, cum Deus neminem vel partialiter induret, nisi justo judicio. Atqui omnis ille, quem Deus ob antegressam contumaciam deserit & indurat, induratur ex justo judicio. Ergo quilibet partialiter induratus versatur in judicio indurationis. Jam vero Rechenbergius agnoscit & fatetur, partialiter induratos esse adhuc convertibles. Proinde etiam concedendum erit, in judicio indurationis jam constitutos adhuc converti posse.

§. XIII.

Quod non pauci procrastinatores pœnitentie animam desperabundi exhalent, libenter concedimus. Sed id in quæstione est, num propterea desperent, quod Deus nullam iis amplius gratiam offerat, num vero, quod gratiam sibi adhuc oblatam repudient? Judas proditor desperavit. Unde vero? num quia DEUS gratiam conversionis simpliciter denegabat? Absit. Etenim jam aderat contritio, prior conversionis pars. Hæc igitur erat causa mali, quod Spiritui S. per Evangelium fidem in ipso operaturo resisteret, & Terministicis cogitationibus, quas Diabolus suggerebat, magis crederet, quam universalissimis promissionibus, ex ore Christi olimauditis. *Filius hominis venit, ut servet, quod perierat Matth. XVIII. 11. Venite ad me omnes laborantes, & onerati, & ego levabo vos Cap. XI. 28. De v. 21. 22. 23. videatur Confutatio Terministici erroris pag. 22.* Formulae Concordiae verba sic habent: *Ad eundem modum cum videmus, quod DEUS verbum suum alicui regno aut ditioni donat, idem vero alii genti non largitur: item, quod id ipsum ab uno populo aufert, alii vero diutius concedit; quod hic induratur, excæcatur, & in reprobum sensum datur, ille vero, qui in eadem culpatur, ad Deum convertitur, &c. cæendum est diligenter, ne in his rebus expendendis, cogitationibus nostris nimium indulgamus.* pag. 813. Utinam id ad animum revocarent Terministæ! Quando enim genti alicui præconium verbi aufertur, vel etiam homines excæcantur, indurantur & in reprobum sensum dantur, adeo vanissimis suis cogitationibus indulgent, ut sine & extra Sacras literas caussam a foribus gratiæ penitus jam in hac vita occlusis arcessant. Auctoribus Formulae Concordiae Terministicas nugas ne in mentem quidem venisse patet ex adjecto exemplo, de obſinatis & PERDITISSIMIS hominibus, Iudeis. Qua fronte enim januam gratiæ iis prorsus præclusam dixeris, quandoquidem habent Mo-

sen & Prophetas, quos audiant ; Luc. XVI. 29. Nullis impiis sunt con-
 fuendi pulvilli, Ezek. XIII. 18. vel dicendum, pax erit vobis, non veniet su-
 per vos malum , Jer. XXIII. 17. sed annuncienda est iis ira Divina & æ-
 terna damnatio. Num vero propterea cunctis impiis fores gratiæ
 jam in hac vita clausæ sunt ? Ita quidem nullus unquam impius con-
 verlus esset. Ezekiel impio dicere jubebatur, morte morieris Ezeck.
 XXXIII. 8. At quo scopo ? ut custodiret se impius a via sua , & converte-
 retur, Ib. & v. 9. Augustini monitus omnino memoratu dignum
 est. Ergo fratres, quoniam habemus tempus misericordiae, non nobis blandia-
 mur, nos nos dimittamus, non dicamus; semper parcit Deus: facio & hodie, &
 parcit Deus: faciam & cras, quia parcit Deus. Attendit ad misericordiam,
 & non times Judicium ? Si vis cantare misericordiam, & judicium intellige:
 quia ideo parcit, ut corrigat, non ut in malignitate permaneas. Super tali e-
 nim ira Dei manet, Joh. III. 36. Non negat Augustinus, esse nunc
 misericordiae tempus, non cum Terminus singit, fores gratiæ in
 hac vita jam esse clausas. Aperte profitetur, quod habemus tempus mi-
 sericordiae. Docet parcere Deum, ut corrigat, non ut in malignitate permaneas.
 Quamdiu autem vivit homo, tandiui ei parcit Supremum Numen,
 dum eum tolerat, dum mortem adhuc differt, dum præcipitem
 in infernum non agit. Itaque quamdiu peccator in vivis est, Deus
 corrigere hominem cupit, & a malignitate abducere. Non autem
 solummodo attendendum admisericordiam est, sed & timendum ju-
 dicium. Quando quis peccatis indulget, non est in fide, quæ cum
 peccatis proæreticis minime consistit. At super incredulum manet
 ira Dei, Joh. III. 36. quamdiu scilicet incredulus est. Quapropter
 agenda occissime poenitentia, & fides, quam DEUS omnibus of-
 fert, sine cunctatione amplectenda est, ut ira Divina liberetur. Hinc
 si quis terminum gratiæ ante mortem extorquere velit, iterum in
 eandem absurditatem proruet, omnibus incredulis januam gratiæ
 esse præclusam, & proin ne unicum quidem hominem converti
 posse, cum universi minimum in nativitate nostra incredulis anni-
 meremur. Quod Deus etiam in iisdem hominibus simul iræ & ju-
 stæ severitatis ac lenitatis & misericordiae exemplum sistat, malo B.
 Andreæ Kunadi, quam meis verbis in præsenti edifferere. *Vasare*,
 inquit Parallelismo in Pericopas Evangeliorum Dominicalium,
 pag. 122. 123. sunt homines improbi & impoenitentes, quos cum sua culpa
 malos ac desperatos DEIIS mature posset perdere, tamen ex MAGNA ANIMI
 LENI-

LENITATE aliquandiu tolerat & sustinet, in exemplum IRÆ & IUSTÆ SE-
VERITATIS adversus Divine bonitatis contemtum. De induratione repro-
borum magna controversia est, sed jam dudum a Deo ipso decisa, Hos. XIII. 9.
Perditio tua ex te Israel. DEUS enim neminem tentat ad malum, Jac. I. 13.
Sed penes hominem est, postquam a Deo vocatus est, utrum velit vocationi mo-
rem gerere, nec ne. Aut si eam repperit, an eriam velit in gratia DEI per-
severare. DEUS enim neminem cogit, sed proponit nobis in Ecclesia vitam &
mortem, &c. Deut. II. 26. aquam & ignem Sir. 15. 17. Quod si jam aliquis
præstigiis, & suggestionibus Satane potius quam verbo DEI obedire velit, ip-
sius culpa est, ipsius est miseria. Hinc de impiis recte dicitur; Execcavit eos
malitia eorum. Sap. 2. 21. Indurant igitur homines se ipsos partim per pro-
priam petulantiam, qua cupiditatibus Carnis indulgent, & exercitiis illarum
asseviant, donec concordia peccandi contrarerint, Neh. 9. 16. partim per im-
penitentiam, quae disciplinam excutiunt, Verbum DEI contemnunt, & adver-
sus castigationes murmurant, vel PRORSUS ἀπηγνότες factieas NON AM-
PLIUS CURANT. Quomodo dum se homines adversus economiam salutis ge-
runt, Deus manum gratiae subtrahit, & homines SLO SENSU ABUNDA-
RE SINIT. Habenti enim dabitur. Non habenti vero auferetur. Matth. 13.
¶ 12. Haec tenus igitur DEUS non efficit, sed reperit, & POENALITER permit-
tit affectum hominum cæcitatem & malitiam. Quod tolerantiam Dei at-
tinget, consilii illa partim in dilatione judicii, qua DESPERATOS ILLOS
PECCATORES, QUOS OB PRÆVISAM IMPOENITENTIAM PLE-
CTERE DECREVIT, jam dudum perdere poterat, sed tamen ei aliquandiu
parcit, quemadmodum DEUS exemplo Pharonis, quem DEUS noverat nunquam
pœnitentiam acturum, cumque propterea perdere decreverat, tolerabat tamen ad
tempus Ex. 9. 16. Partim in explicatione Divini consilii, quod DEUS Pœnitent-
iam REQUIRAT, ET CONVERSIONEM EXPECTET, secus futurum,
ut peccatores puniat, vid. Jes. 1. 19. Ezech. 3. 18. Non enim cessat DEUS, do-
nec spatium pœnitentiae durat, peccatores ad pœnitentiam invitare. Directa
est igitur haec mensio DEI ad conversionem hominum, juxta illud Apostoli:
Patiens est Deus, 2. Pet. III. 9. Qui finis cum non consequitur, facit ad DEI
excusationem, quod DEUS non sit in culpæ causa perditionis, sed ipsi homi-
nes. Quo pertinet diserta DEI protestatio. Nolo mortem &c. Quare mori-
ri emini domus Israel? Ezeck. 33. II. En! B. Kunadus ex Scripturis do-
cet, non modo quibuslibet validis iræ, sed & ejusmodi induratis Con-
temptoribus, qui prorsus ἀπηγνότες facti castigationes non am-
plius curant, imo iis, qui jam sunt desperati, & quos Deus ob prævi-
sam

sam pœnitentiam plectere cum Pharaone decrevit, tamen relinquare adhuc spatiū pœnitentia, & eorum conversionem exspectare. B. Dorſchei verba Schediasmate jam vindicavimus. Delementate Systematis Lyseriani, *Gratiæ terminus, apud quosdam in hac vita jam absolvitur*, non est, quod glorietur Rechenbergius. Nam in eo cardo controversiæ consistit, an terminus gratiæ revocatricis in hac vita adhuc expiret. At Theologi nostri interdum diem gratiæ præteriisse & diem ultionis adesse scribunt, respectu eorum habito, quæ ad conversionem non sunt simpliciter necessaria. Sic. B. Joh. Schmidius Comm. in Proph. Min. pag. 123. de latrone cum Christo crucifixo scribit, *non fuisse tum amplius diem gratiæ, sed diem ire & ultionis*, quia videlicet crucis dolores effugere non potuit. Interim eundem pœnitentiam egisse & Paradisi promissionem accepisse neutiquam inficiatur: Dannhaueri verba Schediasmate p. 26. in. vindicavimus, quibus B. Vir hoc sibi voluit, Deum ob gravem contumaciam ante naturalem vita terminum nonnunquam ambitum gratiæ præcidere, dum multos variis modis citius ex hac vita evocat, quam alias fuissent morituri. Sic. v. g. Herodes diutius mansisset in vivis, longiusque pœnitendi spatiū habuisset, nisi singulari impietatis proterviæ & superbie gradu Deum adeo ad iram provocasset, ut percussus ab Angelo Domini animam efflasset. Act. XIII. 23. Quid vero B. Dannhauerus de Terministicis portentis judicaturus fuisset, si viveret, ex Dissertatione ejus de gratia Justifica §. XXXVI. appareret, qua contra Claudium Aquavivam, Præpos. Jesuit. General. ita disputat. Particularem facit gratiam Divinam efficacem, commentus, *DEUM ALIQUO TEMPORE GRATIAM NON INTENDERE*, quod ἀντιγραφούσι οὐδεβέσ. Nam quando vinit or cælestis benignissimus Es. V. 4. gratia in excolenda vinea occupat & omnem querelam adimere, illaque gloria conspicuus esse vult, quod nibil quicquam eorum, quæ sint maturandis uis, reliquerit, hoc ipso satis obtestatur, se intenta gratiæ applicatione rerum suarum *NILLO NON TEMPORE* sategisse. Secus, expoſtulanti, Quid est, quod debui ultra facere vinea mæ, & non feci ei? objici poterat, te plus ultra, & multa a temporis negotiosa gratia invitatæ intercapedo. Similiter Act. VII. 5. ex PERPETUA illa τῶν σπληγχνῶν ὀντιπόσται & malitiosa SEMPER resistentia adversus ipsum Spiritum S. tendente patet Divine gratiæ SEMPER operosa εὑστασίς & instantia. Quo enim quis tempore ab oblatagratia non solicitatur, eodem non potest dici resistere. Expendant hæc Terministæ, &

& agnoscant, Jesuiticam suam doctrinam Scripturæ contrariam
IMPIAMQUE esse.

§. XIV.

Profligatae nunc sunt B. C. D. excepti unculae, quibus Rechenbergius commemoratum §. IV. Syllogismum sibi oppugnandum sumvit. Itaque summotis cavillationibus illis nunc nobis etiam integrum erit solida proferre documenta, quæ ad confirmandum Syllogismum faciunt. Quod ut e majori perspicuitate fieri queat, eum ante omnia repetimus.

Cujuscunque doctrinae assertio hominem PER SE reddit desperandum, illa cui falsa repudianda venit. Atqui assertio termini gratie id facit. Ergo.

MAJOREM probamus (α) ex omnibus Scriptura locis, quibus vel incredulitas prohibetur, vel fides nobis commendatur. Ea enim universa ostendunt, nolle Deum, ut desperemus, cum desperatio sit summus gradus incredulitatis. Proinde voluntati Divinæ repugnat, quisquis ejusmodi doctrinam in Ecclesia proponit, quæ hominem in abyssum desperationis precipitem agit. (β) Sigillatim eam ex Rom. XV. 4 evicit Formula Concordiæ pag. 801, med. Certum est, quod omnia, quæ in Scriptura nobis proponuntur, NON IDEO REVELATA SINT, UT AD DESPERATIONEM ADIGAMI, sed ut per patientiam & consolationem Scripturæ spem habeamus. Quare hæc NEQVAZIAM ERIT VERA ET SANA SENTENTIA, aut legitimus usus doctrinae de Prædestinatione Dei, quibus vel impunitentia, VEL DESPERATIO in hominum mentibus excitatur, aut confirmatur.

§. XV.

MINOR itidem in propatulo est. Etenim (1) si Deus multis hominibus terminum ante mortem fixit, nemo certus esse poterit, fores gratiae sibi nondum ita præclusæ esse, ut nulla amplius veniam & remissionis peccatorum spes superfit. Nam si DEUS arcano consilio aliis januam misericordiæ usque ad obitum patentes relinquit, aliis vero diu ante mortem claudit, nemo scire poterit, ad quam classem pertineat: cū eorum, quibus usque ad finem vitæ janua gratiae aperta manet, nomina sigillatim in scripturis nullibi exprimantur. (2.) Non poterunt ea de re certi esse vel fideles, vel infideles. Non fideles, quia recte monente Formula Concordiæ aliquando in tam graves tentationes incidunt, ut nullam amplius inhabitantis Spiritus Dei virtutem in se animadvertertere & sentire possint, ut cum Davide queribunda voce dicant,

E

cant, ego dixi in excessu mentis meæ, projectus sum a facie oculorum tuorum:
 pag. 817. med. Nisi ergo ex Scripturis ea de re convincantur, quod
 DEUS ipsis adhuc gratiam impertiri velit, ex sensu fidei, quo in gra-
 viissimis illis temptationibus destituuntur, illud minime animadver-
 tent. Corinthios sane monet Paulus, ut explorent se ipsos, num
 sint in fidez, Cor. XIII. 5. Sed nec fidem eorum fictio Terminis-
 mo prostraverat Apostolus, nec illi tum in tani gravi temptationis æ-
 stu versabantur. *Neque etiam infideles.* Quod enim ne fideli quidem
 certo demonstrari potest, quomodo incredulo demonstrabitur?
 (3) per Terminismum evertitur omne solatium ex Verbo Dei pro-
 manans. Si enim a Terminista proponantur consolationes, sem-
 per regeret tentatus, unde cognitum habeat, ea solatia adhuc ad se
 pertinere? Nam si totaliter induratus jam sit, & præcluæ fores gra-
 tiæ, tum non sibi, sed aliis, quorum terminus nondum expiraverit,
 proponenda esse. (4) Terminismus eripit solatium Baptismi. Statim
 enim secundum Terministarum dogmata in promtu erit exceptio,
 multos esse olim baptizatos, quibus tamen DEUS nunc omnem gra-
 tiam deneget. Igitur ex Baptismo a se firmiter colligi non posse,
 quod DEUS terminum nondum præciderit. (5) Terministæ
 auferunt solatium Abolutionis & S. Cœnæ. Statuunt enim, multo-
 rum ad Absolutionem & S. Cœnam accedentium terminum jam ex-
 spirasse. Itaque fluctuandū erit tentato, an emolumentū ex
 Absolutione & Dominica Coena capere queat, & annon in primis
 a S. Cœna abstinere præstet, cum elapo termino gratiæ non possit
 non eam indigne & ad graviorem condemnationem accipere. (6.)
 Singulare ad desperationem momentum affert Rechenbergiana sen-
 tientia, post primam vocationem per Evangelium fores gratiæ jam
 claudi viventibus posse. Eo enim obtorto collo abripit B. Hul-
 semanni verba, §. X. a nobis vindicata. *Quod si quis igitur vel semel*
 Deo per Evangelium vocanti restiterit, fluctuandum erit, an aditus
 amplius ad gratiam pateat. (7.) Imo ne quidem necessarium esse
 statuunt Adversarii, ut vocatio per Evangelium antecesserit, dum-
 modo indurati aliquando sufficientem mensuram abstinendia peccatis in lu-
 mine naturæ habuerint: vid. Spenerus im Gerich der Verstöckung pagina 22. fin. (8) Rechenbergius integris populis omnem gratiam
 revocantem ablatam fingit, prout de decem tribubus §. VI. com-
 memoravimus. (8) Unde apparet, vano conatu Terministicum Prä-
 conem

conem id acturum, ut tentato persuadeat, eum non esse totaliter induratum, nec satis pervicaciter DEO vocanti restitisse, Quo enim argumento istum convincet, quod ne semel quidem vocationi per Evangelium restiterit, quod nunquam peccatum commiserit, secundum ipsius rationis dictamen omittendum, quod ne eum quidem duritiei gradum attigerit, quo plerique forsitan decem tribuum infantes laborant. (10) Anquis a totali & omnimoda indurazione immunis sit, Terministæ ex eventu potissimum dijudicari jubent. Miserrimum vero genus consolationis foret: *Num hucusque partialiter solummodo induratus sis, nunc certo cognoscere non licet: sed si nondum in iudicio indurationis versaris, olim gratia Divina iterum offeretur.* Tam diu igitur ea de fluctuandum erit, sive post breve tempus sive post plurimos demum annos tibi ea contingat. (11) Rechenbergius tamen procul dubio etiam hoc argumento apud tentatum uteretur. *Quicunque sentit onus peccati, cum Christus ad se venire jubet. Atqui tu sentis onus peccati, cum metu elapsi termini tam graviter angaris: Ergo.* Quo minus vero tentatus hinc solatium capiat, obstat Terministarum sententia, *Judæ post proditionem Christi omnem gratiam esse denegatam.* Hinc enim instantia profluit; Judam sensisse onus peccati, animadvertisse, quod peccasset, tradens innoxium sanguinem, projecisse argenteos in templo, cum tamen nulla ipsi gratia superefset. (12) Sic & obstant Terministæ, quo minus ex desiderio gratiae firmum depromatur argumentum. Quid enim reposituri sunt, si timeat tentatus, ne desiderium suum eodem apd DEum loco sit, quo clamor Epulonis in inferno? Nec Spenerus desiderio gratiae multum tribuere videtur Erklärung des Gnaden-Ziels pag. 75. init. (13) At forte desiderio sanctitatis plus nitendum erit. Unde Spenerus monet: *Komme ihnen ihr Verlangen nach der Gnade als Fleischlich verächtig vor / so sey ihnen zu weisen / daß sie die Gnade verlangten/ nicht allein darmit ihnen wol sey / sondern auch / daß ihres Heylandes Verdienst an ihnen nicht umsonst bleibe: Sie trügen auch ein Verlangen nicht allein nach der Vergebung der Sünden/ und der künftigen Seligkeit / sondern auch nach der Heiligung/ daß sie doch zu ehren und zu Gefallen ihres Gottes eine Weile leben / und ihre vorige Versäumnis wieder einbringen möchten:* Ibid. Verum recogitare oportebat Terministas, annon desiderium gratiae Divinae pluris faciendum sit, quam desiderium sanctitatis, cum DEI gratia & remissio peccatorum

rum omnem nostram sanctitatem longe superent, nec locum habere sanctificatio in homine queat, nisi prius gratiam Dei veniamque peccatorum nacto. Si ergo ex desiderio gratiae solidum argumentum derivare non licet, multo minus ex desiderio sanctitatis promanabit. (14) Nimis etiam difficilis inquisitio est in gravissimo temptationis astu, num sincero veræ sanctitatis desiderio flagres? Dicit Spenerus, fieri posse, ut homo ab omni gratia rejectus se de peccatis suis pœnitentiam agere existimet; Dass wenn er einmahl habe gefehlet / seiner Meinung nach darüber Buß thue / pag. 68. med. Und igitur convincere licebit tentatum, eum sibi veræ sanctitatis desiderium non duntaxat imaginari? (15) Nee Praconis Terminismo infecti, vel aliorum Terministarum publicis privatisque depreciationibus erigitur miser. Nam Jerem. XV. 1. eo detorquent, si terminus jam ad exitum pervenerit, Deum nec Mosis & Samuelis precibus ad januam gratiae iterum aperiendam commotum iri. Et quid profuturæ essent preces hominum, Christo iis non amplius sua intercessione vim & efficaciam largiente? vid. Spenerus vom Gnaden-Ziel pag. 97. fin. (16) Minime omnium vero tentatus ea responsione contentus erit, doctrinam de termino gratiae tantum in thesi propoundam, in hypothesi vero ad certa individua applicandam non esse. Etenim ad fidem individualis applicatio requiritur, ut non tantummodo cognitum habeas, Deum peccatoribus gratiam pœnitentiæ impertiri velle, sed etiam ad te applies, Divinam gratiam tibi in individuo paratam esse. Itaque necessarium est incerto & infallibili argumento constet, tibi non esse clausam januam gratiae, quæ si jam obserata sit, fidei nullus amplius in te erit locus. (17.) Uno verbo. Nisi certum & immotum maneat fundamentum hoc, Deum cuilibet homini quam diu in vivis est, gratiam impertiri velle, actum est de oīni consolatione. Alio solatii genere nunquam erigetur confirmationibique tentatus. Infirma & fundamento destituta consolationes nihil proficient: Has facilime confutaverint tentati, qui nullib[us] magis ingenio valent, quam in exceptionibus ad proposita solatia reperiendis. Nimis prompte eas subministrant caro & sanguis, quæ si feriarentur, Satanás tamen eas suggerere non cessaret.

§. XVI.

Ægerrime fert Rechenbergius, Terministicam doctrinam Diabolo tribui. At nemo est acrior Divinæ gratiae hostis, quam Sata-

Satanas, universos homines in desperationem præcipites acturus,
si posset. Diabolum præcipuum Terminisni Präconem esse ex ipso
Rosenbachio ostendimus Vindiciis Librorum Symbolicorum pag. 32.
Addimus nunc exemplum aliud. Im Jahr 1653. (inquit I. P. Zip-
pelius Meditatione de spirituum actionibus pagina 147. 148. 149.)
im Majo ist gewesen in Kendal Westmerland Johann Gilpin, wel-
cher ein grosses Verlangen trug sich zu der Quäcker-Berfamlung zu ver-
fügen/bis er endlich mit ihnen gesprochen/und aufständiges Anhalten
bey ihuen verblieben: Dadann Ch. Atkinson / als dazumahl Ver-
mahnner/ bey ihn getreten / sagend. Man müste verläugnen und abfa-
gen/ aller Lehrlung und Bedienung der Prediger/ mit aller Erkäntniß
und Wissenschaft aus dem Gebrauch solcher mittel erlanget / und mü-
ste werden/ als hätte man niemahls ein Ding gelernet. Man müsse
nur von Gott gelernt werden innerlich in sich selbst/ durch Erwartung
eines innerlichen Lichts / welches liege tief verborgen unter der Erden/
nemlich der alte Mensch/ welcher ist von der Erden irrdisch. Da mer-
kte er/ daß etwas in seinen Leib fuhr/ davon ihm der Satan weiss mach-
te/es wäre der Geist Gottes/ gleich einer Taube. Und ihm däuchte/er höre-
te eine Stimme zu ihm sagend: Es ist Tag: Zweymahl hinzuthuend: So
gewiß es Licht ist/ so gewiß sol Christus dir Licht geben. Und es war zu
ihm gesagt: Bitte was du wilt den Vater in meinem Namen/ und er wil
es dir geben. Gilpin sagte/ was soll ich bitten? Und es ward ihm geant-
wortet: Weisheit. Bald ward seine Hand bewegt nach dem Haupt/ und
hörte die Stimme sagen: Christus in Gott/ und Gott in Christo/ und
Christus in dir. Und er hörte eine Stimme sagen. Beuge dich tief/ tieff/
und als seyn Angestell bey nahe auf der Erde war/ sagte sie zu ihm; Nimb
auff dein Kreuz/ und folge mir. Januam domus tibicinis accedens dicebat:
Siehe/ Christus steht vor der Thür und klopft. Per civitatem ductus cla-
mabat: Ich bin der Weg/ die Wahrheit und das Leben! Darnach hielt er
den Huseherr vor/ und mußte sagen: Wenn ihr nicht Zeichen und Wunder
s. ht/ so gläuet ihr nicht. Als seine Frau und Haufz. Gesind zu Bette gegang-
en/ blieb er allein/ und begunte zu fragen: Ob diese fremde Berrichtun-
gen Göttlich oder Teuffelisch wären? Darüber er heftig bebete/ und seine
Hand mußte ein Messer/ welches bey ihm lag/ aufheben/ und es an die
Gurgel setzen. Und die Stimme sagte zu ihm; Mache da ein Loch/ und
ich will dir geben ewiges Leben. Bald darauf kam der Teuffel wieder
zu ihm/ und sagte ihm/ daß es der Satan wäre/ der ihn bisher beses-
sen/

sen / und verführt gehabt / aber nun wäre Christus kommen / hätte den Teuffel ausgetrieben / und sagte ihm auch / was er des Tags zuvor gethan / daß hätte er dem Satan zu Gehorsam gethan / und gleichwie er den Tag zu vor dem Satan in seinen Kleidern gedienet / also musste er nun diesen Tag / alles was er gethan hatte / zu nichts machen / in seinem Hembd Christo zum Gehorsam. Es ward ferner gesaget: Gestrichen Tages machte der Teuffel / daß du den ganzen Tag mustest liegen auff der Erden / aber nun habe ich ein Bett für dich verschaffet / dann mein Toch ist sanft. Er verhieß ihm auch zu geben / Brodt des Lebens zu essen / und Wasser des Lebens zu trincken / und daß aus seinen Leibe solten fliessen Ströme des lebendigen Wassers. Der Teuffel sagte zu ihm / ich war gekrönt mit einer Dornen-Crone / aber dich wil ich krönen mit der Crohn der Herrlichkeit. Tandem Diabolus deponit larvam, und der Teuffel sagte ihm damahls / daß er alle diese Zeit über ihm hätte gedienet / und GOTZ gelästert. Und daß es nun zu spät wäre Busz zu thun. Hac adeo erat revelationum Satanicarum coronis. Huc tandem res omnes redibat, non amplius poenitentiam agendi tempus esse. Quare, qui vitare vult casasSatanæ, vitet Terminismum.

S. D. G.



LAM-



LEMMA T A.

- §. I. & II. Rechenbergius iterum doctrinam suam de Termino gratiae ante mortem defendere conatus est, Dissertatione de officio Paracletico.
- §. III. Summa controversiae, *Num ea doctrina sit expers consolationis, & propterea eliminanda?*
- §. IV. Ad Instantias Rechenbergianas generatim respondetur, eas esse alienas a scopo.
- §. V. Sigillatim id ostenditur de instantia a paucitate electorum desumpta.
- §. VI. Ut & de altera a Peccato in Spiritum Sanctum de-
prompta.
- §. VII. Vindicatur Formula Concordiae.
- §. VIII. Agitur de morte corporali.
- §. IX. Vindicantur loca Lutheri.
- §. X. Nec non Hutteri, Geleri, & Hulsemanni. Ostendi-
tur, Rechenbergium sibi minus distinctos conceptus for-
massae de voluntate antecedente & consequente.
- §. XI. Duodecim rationibus evincitur, non orthodoxo-
rum sed Terministarum potius doctrinam alendae secu-
ritati ansam probare.
- §. XII. Exemplis probatur, totaliter induratos actu fuisse
conversos.
- §. XIII. Formula Concordiae iterum vindicatur : nec non
Augustinus, & lemma quoddam Systematis Lyseriani.

§. XV.

- §. XIV. Evincitur, nullam doctrinam esse proponendam,
quæ hominem per se reddat desperabundum.
- §. XV. Septendecim rationibus probatur, Terminismum
esse expertem solitii.
- §. VI. Exemplo Joannis Gilpini ostenditur, doctrinam
Terministarum esse coronidem Diabolicarum Revela-
tionum.



- VII. Vindictum Lutetiam Cucardia.
- VIII. Agitur de morte soliloqui.
- IX. Vindictum loci lupi.
- X. Inconveniens huiusmodi est, quod Huiusmodi officiales
in Rebus publicis non possunt nisi per consilium consiliorum.
- XI. Dicuntur iurisperitorum, quod si quis usque ad
litteras agi fortius respondeat, evincitur, non orthodoxo-
- XII. Exempli propria, iurisperitorum, quod si quis usque ad
litteras agi fortius respondeat, evincitur, non orthodoxo-
- XIII. Iurisperitorum, quod si quis usque ad litteras agi fortius
respondeat, evincitur.
- XIV. Iurisperitorum, quod si quis usque ad litteras agi fortius
respondeat, evincitur.



Mng VI 14

ULB Halle
001 512 978

3



sb

vol 18

Vol 17 E

alios nun c tentationum casus, qui hinc inde occur-
sgrederemur; nisi brevitatis studium, quod nobis
mus, filum abrum pere juberet: Deus, qui pater
rdiarum est, nos in via confragosa, insidiis & ten-
bus variis obnoxia ac latrociniis infesta, tutos pra-
et, ac per Christum nos tandem ab omni malo
liberet! Amen.



2
SEBASTIANI EDZARDI
PROF. PUBL.

TERMINISMUS SOLATII EX- PERS

Adversus nuperam *Rechenbergii* Disserta-
tionem *de officio Paracletico*.



A. C. MDCCVI.

